

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Lexicon Graecolatinum Novvm**

**Scapula, Johannes  
Zwinger, Jacob**

**Basileae, 1628**

*Amplissimis ac magnificis viris consvlibvs et senatoribvs inclytae  
bernatvm reipvblicae*

[urn:nbn:de:bsz:31-107465](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107465)



AMPLISSIMIS AC  
MAGNIFICIS VIRIS CONSVLIBVS  
ET SENATORIBVS INCLYTÆ  
BERNATVM REIPVBLICÆ,  
Dominis suis plurimum obseruandis.



**N**ON vos latet, Viri Amplissimi,  
tuendæ pietati, sine qua nullum re-  
gnum, nulla respub. diu stare potest,  
per necessariam esse legitimam pue-  
rorum institutionem, siquidem iam  
inde ab initio, quum vos Deus optimus maximus  
ex densa errorum & superstitionum caligine ad a-  
pertam verbi sui lucem euocare dignatus est, scho-  
las erexistis, Bernæ potissimum & Lausannæ, quibus  
omni pietatis & eruditionis laude insignes viros  
hinc inde accitos præfecistis. Quinetiam studiosos  
vndecunque aduenerint in vestram tutelam susce-  
ptos, summa benignitate complexi estis, pauperio-  
res verò non exiguo numero si modò bonæ indolis  
speciem præ se ferrent, idoneis stipendiis ad litera-  
rum studia inuitastis. Quod vt summa animi ala-  
critate à vobis institutum fuit, ita etiam in eo non  
minori constantia persistitis: quippe qui dirutis ac  
solo æquatis veteribus ædificiis, quæ vestris scholis

## E P I S T O L A

inseruierant, noua vestro splendore digna, Bernæ  
 extruxeritis, atque etiamnum Lausannæ extruatis,  
 nullisque sumptibus parcatis, vt & Musæ & Musarum  
 cultores vtrobique commoda aptaque habeant  
 domicilia, vnde colligunt ij quib. ex præteriti tem-  
 poris recordatione nota perspectaque est vestra in  
 literarum studiosos munificentia, nihil à vobis præ-  
 termisum iri, vt vestræ illæ Academiæ viris pietate  
 omnique eruditionis genere præstantibus abun-  
 dent, in eisque tum diuinarum tum humanarum  
 literarum scientia accuratiùs quàm antea vnquam  
 tradatur. Ad quod efficiendum præter gloriam  
 immortalem, quam vestræ illæ scholæ vobis pepe-  
 rerunt, & cumulationem in dies reddituræ sunt,  
 non parum animos vestros accendere atque inflam-  
 mare debet fructus longè vberimus, quem ad vos  
 vestramque regionem, necnon ad alios longo loco-  
 rum interuallo à vobis diffitos dimanasse non igno-  
 ratis. Nam si agricolæ tantum laboris, operæ & di-  
 ligentiæ iis agris, aut arboribus excolendis impen-  
 dere consueuerunt, ex quibus fructum aliquem se  
 percepturos sperant, quid in re tam fructuosa fieri  
 decet? Ex iis certè qui partim in vestra ditione, par-  
 tim apud exterarum nationum rerum publicarum eccle-  
 siarumve gubernacula tenent, permultos esse con-  
 stat, qui non aliunde quàm ex vestris illis gymnasiis,  
 tanquam ex equo Troiano prodierunt. Nec dubium  
 est, si sincerioris doctrinæ, optimarumque artium  
 atque linguarum studia vestro fauore complecti,  
 vestra autoritate tueri, vestris opibus iuuare & ornare  
inde-

## DEDICATORIA.

indefessis animis perrexeritis, quin multò plures  
 multòq; doctiores in posterum prodituri sint. Quæ  
 res patriæ ornamento, Ecclesiæ emolumēto, Deoq;  
 in primis honori cedit. Enimuerò si in me vel tan-  
 tillum est eruditionis (quod planè sentio quàm sit  
 exiguum) id vestro beneficio me consecutum esse  
 profiteor. In vestra enim Lausannensi schola à pue-  
 ris sum educatus, illic me vestra liberalitate aliquan-  
 diu iuuiſtis, studiáq; mea promouistis, illic primùm  
 me ad publicam functionem euocatum vestro præ-  
 sidio fouistis. Quum igitur studiorum meorum  
 fructum vobis acceptum ferre meritò debeam, nec  
 pro vestrorum in me beneficiorum magnitudine  
 gratiam referre valeam, nemo opinor erit qui auda-  
 ciæ aut temeritati vertat, si hunc primum foetū, qui  
 & apud vos natus est, & cuius absoluendi causa me  
 à mea prouincia tandiu feriari permisistis, quandiu  
 necessitas postulauit, vobis nuncupem dedicem-  
 que: vt meæ erga vos obseruantia & gratitudinis  
 testimonium apud omnes extet, meoque exemplo  
 veluti classico, complures alios, non minus vobis de-  
 uinctos, ad eandem gratitudinis significationem  
 excitem. Eum vt pro vestra humanitate & in lite-  
 rarum studia amore æqui boniq; consulatis, etiam  
 atque etiam obsecro: idque futurum mihi persua-  
 deo, si eum iuuentuti, cum alibi, tum in vestris  
 scholis (in quarum potissimum gratiam susceptus  
 editusque est) literis Græcis operam danti prodesse  
 intellexeritis. Nam si parentibus accepti sunt qui  
 liberorum vtilitati consulere nituntur, minimè ve-

## EPIST. DEDICAT.

reor quin hic meus conatus vestræ amplitudini gratus futurus sit : quum hoc vnum spectauerim, vt vestris scholis aliquid utilitatis afferrem, quas non secus ac liberos vestros singulari beneuolentia complectimini. Et quemadmodum in augusto ædificio struendo, qui minutis lapidibus, terræ, arenæ, & aliis id genus importandis manum admouent, opus cum præcipuis illius architectis promouere dicuntur: ita huic vestro tam præclaro ccepto, quo adolescentum studia iuuare magis magisque cogitatis, hanc meam qualemcunque operam quasi symbolum non nihil subsidij allaturam esse existimaui, donec maiora præstare mihi concedatur.

Deus opt. max. vestræ Reipub. statum quàm diutissimè incolumem sua virtute tueri & conseruare, vestræque consilia suo spiritu gubernare dignetur: vt vestro præsidio pietas facta tecta vigeat, literarum studia floreat, omnia denique tum publicè tum priuatim vobis felicissimè succedant. Basileæ octauo Kalend. Decemb. M. D. LXXIX. quo anno Bernensi scholæ coronide imposita, Lausannensis gymnasij fundamenta iacta sunt. Quod faustum felixque esse velit præpotens rerum omnium opifex & moderator Deus.

\* \*

*Vestræ Amplitudini addictissimus*

IOANNES SCAPVLA.